Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.

Wien, 1800 Seite 1299

Quelle:
Copyright:

Dyſcowe eiusdem Ord. que fecit ſcribi Bononie in Anno domini M° CCC. XXVI°. quicunque ſibi abſtulerit anathema ſit. Henricum an. 1336. etiam num in vivis egiſſe probat ejus electio in Vicarium gen. ſuae Provinciae *Brugis* in Capitulo gen. illo anno facta, id quod ſolum de eo notant Ordinis Bibliothecarii.

DLXXIX.

U. 689 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 167. f. per duas columnas charactere luculento exaratus, coloribus diſtinctus, et legatus olim *Collegio ducali Wienne apud Fratres Predicatores* ab *Jodoco Weiler de Hailprunna* Theol. Prof. et D. *Stephani* Canonico ſequentia Scholaſtica complectitur: I. *Quodlibet Magiſtri Jacobi De Eſculo Ordinis Minorum.* Orditur ille: *Quia teſte beato Jo. Apoc. 1. c. deus eſt principium et finis omnium. ſ. alfa et o. idcirco oratione premiſſa deprecabor dominum* &c. tractatque *Quaeſtiones* XVI. quarum Tituli ad calcem adſcripti ſunt, et quarum prima eſt: *Vtrum ſimplicitas diuine nature compaciatur ſecum aliquam diſtinctionem ex natura rei preuiam diſtinctioni perſonarum.* De hoc *Jacobo Eſculano*, ſive *Aſculano* agunt *Poſſevinus* in *Apparatu ſacro*, *Waddingus* in *Scriptt. Ord. Fabricius* in *Bibl. med. Lat. Mazzuchellius* in *Scritt. d'Italia Vol.* I. P. 2. unus, ut fit, ex altero; atque inde error etiam propagatus eſt, vixiſſe illum circa an. 1464. cui manifeſte Codex noſter Seculo integro vetuſtior contradicit. Ex hoc porro errore factum puto, quod *Waddingus Jacobum* noſtrum cum *Jacobo Piceno*, ſive *de Marchia* ὁμοχωρῳ confundat, quem a. 1476. exceſſiſſe facile credo. Ceterum *Quodlibet* ſcripſiſſe hactenus ἀνεκδοτον omnes conveniunt, idque teſte *Mazzuchellio* etiam in *Patavina D. Antonii* Bibliotheca ſervatur.

II. *fol.* 33. praevio *Quaeſtionum* XXI. Elencho ſequitur *Quodlibet Joh. Duns*, ſive *Scoti* O. M. Doctoris *Subtilis*, de quo ſaepius dictum eſt. Ejus initium eſt: *Cunctе res difficiles. ait ſalomon eccles. 1. et cur intelligat eas eſſe difficiles ſubdit* &c. Finis: *Per hoc ſolute ſunt rationes*, ubi in edit. Opp. omn. Lugd. 1639. T. XII. p. 544. f. legitur: *Et ſic patet ad rationes.* Clauſula eſt: *Explicit quodlibet magiſtri Johannis ſcoti de ordine fratrum minorum. Quaeſtiones* hae *Quodlibetales*, quas *Waddingus* editor in *Praef. T. cit.* Opus pretioſiſſimum et medullam Doctrinae *Scoti* vocat, mature typis exceptae ſunt, ut vel mihi Editio per *Albert. Stendal* 1474. et *Venetae* 1481. et 97. f. adjaceant.

III. *fol.* 97. *Quodlibet Alexandri. Alenſem* putares, et ita quidem ſcriptum erat in *fol.* Codici praevio: *Quodlibet Alexandri de Hales;* verùm peritior Manus ſuperinduxit: *de Alexandria.* Habemus igitur rariſſimas *Quaeſtiones Quodlibetales Alexandri* dicti a loco natali *de Alexandria*, electi a.

1313.